

IOANNES SCHÖ
NER CAROLO STADIVS GEOR
GIO TANSTETERO RÉGIO MEDICO S. D.



V M aliquando, ut s̄epe facio, uersanti mihi relictos ex opulentiss. bibliotheca Ioan. de Regiomonte libros, nec numero nec argumento cum amissis cōparandos, sed qui tamē omnes essent optimi, uenisset in manus meas libellus de quadratura círculi comparatus à Regiomontano aduersus inuenta hac de re Card. Cusani: statim dignus mihi libellus uisus fuit, qui studiosis Mathematicarum disciplinarum communicaretur: sed per ocium introspicienti hoc multo magis, quo melior utiliorq; apparuit. Cum autem placeret mihi commendari hunc libellum præter autoris opinionem etiam alicuius horum temporū excellentis uiri nomine, tu mihi in primis occurreas, qui quamuis egregium librum accessione famæ tuæ ornare augeāc; posses, Georgi Tanstetere, propter eximiam & perfectā cognitionem rerum Mathematicarum, quarum doctrina eā laudem & gloriam es adeptus, ut cum ueteribus facile parem te præstantia tua faciat, tum quem conferre tecum ex omnib. nationib. iure possimus inueniatur nemo. Mihi igitur, & admiranti te & colenti, quod tibi ignotū esse nequit, diu iā curæ fuit declarandæ uoluntatis, iudicijq; de te mei omnibus si possem mortalibus. Qua in cupiditate quæ aptior occasio potuisset sese offerre mihi, quām dedicandi tibi hunc libellum, doctissimi uiri, utriq; nostrum natione, mihi etiam patria coniuncti. Cuius ut magnitudinē doctrinæ Italicos etiam & Græcanicos cōstaret admiratos, ita relinqueretur intelligendum omnibus, quanti te faceremus, cuius nomen ornamento clariss. autoris singulari scripto futurum esse iudicassemus. Necq; te inuitum testimoniuī iudicij nostri admissum confido, quum & te honorifice de me sentire, & nos diligentia & laboribus innotuisse studiosis, illorumq; nonnullam esse existimationem de meis studijs sciam. Quod si quis rem ipsam, & illud, quo de agitur, expendere uoleat, inuenietur profecto celebritate tua dignissima materia. Nam tanto ab hinc annorum interuallo tentatum opus, necq; postea de manibus doctorum depositum, ad nostramq; ætatem usq; retentū, certe debet nequaquam contemnendū uideri. Inuenio autem Anaxagoræ tribui in círculi quadratura exquirenda, singularem laudem, cumq; in carcere, in quem esset coniectus ab Atheniensibus,

a 2 tanq;